

3. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Prefect, May 5, 2014, Prot. N. 48240/13 CA—Suspension—Request for free legal representation—Obligation of recurrent to demonstrate

Prot. N. 48240/13 CA

Suspensionis

(Rev.dus N.—Congregatio pro Gentium Evangelizatione)

DECRETUM

In causa de qua supra, litteris diei 22 martii 2014 ad Rev.dum N. datis, hoc Supremum Tribunal statuit: *a)* terminum peremptorium triginta dierum ut Rev.dus Recurrens suetam cautionem solveret, et *b)* terminum triginta dierum ut advocatum-procuratorem sibi constitueret.

Instantia autem diei 1 aprilis 2014, Rev.dus Recurrens ex urbe in natione extera petiit gratuitum patrocinium et exemptionem ab obligatione deponendi consuetam cautionem.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Perspecto quod constat Rev.dum N. litteras huius Supremi Fori diei 22 martii 2014 accepisse;

Attento quod gratuitum patrocinium legitime tantum petitur ad normam art. 31, §1 *Legis propriae* H.S.T., id est probationes exhibendo, quibus recurrentis oeconomica condicio apparet, quodque pars recurrens id optime novit ex folio (p. 2, n. 6), quod ei una cum illis litteris datum est;

Perspecto quod pars recurrens nihilominus suam condicionem oeconomicam per documenta haud demonstravit, quam ob rem eius instantia diei 1 aprilis 2014 considerari nequit;

Cum pars recurrens intra terminum peremptorium statutum, immo hactenus, cautionem non deposuerit;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae Substituto,

decrevit:

causam peremptam declarandam esse et facto declarari.

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 5 maii 2014.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*
+ Franciscus DANEELS, o. praem., *Secretarius*